



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE FIDELES ECCLESIALIS** SANCTUS ALBERTUS

CHMIELOWSKI, RELIGIOSUS, PATRONUS PRINCIPALIS,

ATQUE SANCTUS RAPHAËL KALINOWSKI, PRESBYTER, PATRONUS

SECUNDARIUS APUD DEUM DIOECESIS SOSNOVIENSIS CONFIRMANTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Fideles

ecclesialis communitatis Sosnoviensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas «Totus

Tuus Poloniae populus» constitutae, Sanctum Albertum Chmielowski, religiosum, nec non sanctum Raphaëlem

Kalinowski, presbyterum, quos ambos Nos Ipsi in Beatorum catalogum retulimus, clara veneratione prosequuntur, atque

illis impetrantibus caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Quam ob rem Venerabilis Frater Adamus Smigielski,

Episcopus Sosnoviensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem sancti Alberti in Patronum principalem et

sancti Raphaëlis in Patronum secundarium apud Deum dioecesis suae rite peregit, itemque petivit ut huiusmodi electio

ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo

obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis

facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctum

Albertum Chmielowski, religiosum, Patronum principalem, atque sanctum Raphaëlem Kalinowski, presbyterum,

Patronum secundarium apud Deum dioecesis Sosnoviensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis

concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus

ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis

quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris,*

*anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1993 - Libreria Editrice

Vaticana

---